



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XXXV. Bischof Dieterich von Brandenburg bestätigt den Vertrag der Stadt
Burg mit dem Altare des heil. Kreuzes daselbst über die Freiheit des
Altaristen von Communallasten, am 14. November 1351.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

bentes, ne quis sepe dicta bona contra iustitiam et indebite molestare presumat. Si quis vero eadem bona aggravare, molestare uel inpedire indebite presumpserit, indignacionem omnipotentis dei atque nostram se nouerit grauiter incursum. Predicta uero basilica memoratis Consulibus et eorum successoribus permittitur perpetuis temporibus conferenda, dummodo is, qui per eisdem presentatus fuerit, sit presbiter uel quod idem infra annum a termino presentacionis computandum ad presbiteratus ordinem poterit promoueri; Alioquin presentationem eorum volumus esse nullam. Si uero ad dictam basilicam personam ydoneam infra mensem presentare neglexerint, tunc presentacio solum ad plebanum Ciuitatis presentem pertinebit. Oblationes uero, si que ad altare uel ad manus ministri dicte basilice peruenerint, plebano debent sine diminutione qualibet presentari. Actum et datum Segheser, Anno domini Millefimo CCC^o LI^o jn die beati Thymothei Apostolj.

Nach dem Originale des Stadtarchives zu Burg Nr. 129.

XXXV. Bischof Dieterich von Brandenburg bestätigt den Vertrag der Stadt Burg mit dem Altare des heil. Kreuzes daselbst über die Freiheit des Altaristen von Communallasten, am 14. November 1351.

Nouerint vniuersi presentes litteras inspecturi, Quod nos Hermannus Lucow, Heyno thesen, Johannes pechow senior, willeken gladow, Heyno rulos, nycolaus tolner, Johannes vulpes, Johannes tacke, Symon raneke et michil de resen Consules totaque vniuersitas ciuitatis borch, Discretum virum magistrum ottonem de prempzlaw, rectorem altaris sancte crucis, in ecclesia sancti nycolai in dicta ciuitate borch fundati ac dotati cum duobus mansis in campis ville Luderstorp situatis omnique libertate redactis, sub dicte ciuitatis tuicione, protectione ac defensione recepimus, quem et quemlibet dicti altaris rectorem ex nunc et qui pro tempore fuerit sub tuicione protectione ac defensione predictis recipimus per presentes promittendo dominum magistrum ottonem et quemlibet dicti altaris rectorem, qui pro tempore fuerit, ab omni onere tam in exactionibus tribuendis, quam in pontibus reparandis, fossatis faciendis, in uigiis et custodiis diurnalibus et nocturnalibus in ciuitate uel extra uerifimiliter attemptandis et a quolibet iugo seu seruitute ciuitatis dicte borch indempnem eripere liberumque quitum et solutum tenere perpetuis temporibus et seruare. Dicitus quidem magister otto et quilibet dicti altaris rector, qui pro tempore fuerit, propter suarum personarum atque bonorum dicti altaris tuicionem, protectionem, defensionem huiusmodi et occasione ipsorum et in signum concordie seu fauoris dicte ciuitati borch vnum fertonem brandenburgensis argenti singulis annis in die beati galli dandum de bonis dicti altaris, quamdiu ab incolis et ciuibus dicte ciuitatis borch et circa agrum duorum manforum predictorum dicto altari attributum et appropriatum contingat, de consensu et voluntate venerabilis patris et domini, Domini thiderici episcopi brandenburgensis, honorabiliumque virorum dominorum decani et fratrum calendarum in borch, perpetuo soluere teneantur. In quorum testimonium Nos thidericus, dei gratia brandenburgensis ecclesie episcopus, ad requisitionem consulum et vniuersitatis ciuitatis predictae nostrique consensus nostri sigilli munimine vna cum sigillis dicte ciuitatis borch atque Decani et fratrum calendarum ibidem presentes litteras duximus roborandas. Testes huius rei sunt Dominus johannes

de ottersleue plebanus in refen, Johannes de jerchow sacerdos, Hermannus lucow, Heyno thefen, Nicolaus tolner et Sifridus horer ciues in borch et quam plures alij fide digni. Datum feyezer, Anno domini M° CCC° LI° feria secunda post diem sancti martini episcopi et confessoris.

Nach dem Originale des Stadtarchives zu Burg Nr. 127.

XXXVI. Bischof Dieterich von Brandenburg bestätigt der Pfarrkirche zu Burg einen Ablass, am 22. August 1354.

Uniuersis Sancte Matris ecclesie filijs, ad quos presentes littere peruenerint, Nos miseratione diuina Galfridus Damascenus, Ricardus Nazarenus et Jacobus Neopatenfis archiepiscopi; Gregorius Salunenfis, Johannes Draconarianus, Adam Perpenenfis, Gregorius Dunenfis, Johannes Clonenfis, Augustinus Destillarienfis, Johannes Tiburnenfis et Annacius xanchienfis et franciscus vrchenfis episcopi Salutem in domino sempiternam. Splendor paterni luminis, qui sua mundum ineffabili illuminat caritate, pia uota fidelium de sua clementissima maiestate sperantium tunc precipue fauore benigno prosequitur, cum deuota ipsorum humilitas Sanctorum meritis et precibus adiuuetur. Cupientes igitur ut parochialis ecclesia sancte Marie in Burch dioc. Brandenburgensis congruis honoribus frequentetur et a christi fidelibus iugiter ueneretur, Omnibus uere penitentibus et confessis, qui ad dictam ecclesiam in singulis sue patrone festiuitatibus et in omnibus alijs infra scriptis uidelicet Natalis domini, circumcissionis, epiphanie, pasceues, pasche, ascensionis, pentecostes, Trinitatis, corpus christi, Inuencionis et exaltacionis sancte crucis, Natalis et decollacionis sancti Johannis Bapliste, In festo omnium sanctorum, In commemoracione animarum et in die dedicationis ipsius ecclesie Sanctorumque stephani, laurenrij, Blasij, Nicolai, Sanctarumque Marie Magdalene, Margarete, katerine, lucie, Cecilie et per octauas omnium festiuitatum predictarum octauas habencium Singulisque diebus dominicis totius anni causa deuocionis, oracionis aut peregrinacionis accesserint seu qui missis, predicacionibus, matutinis, uesperis, exequijs mortuorum et sepulturis aut alijs diuinis officijs ibidem interfuerint, Aut qui corpus christi uel oleum sacrum cum infirmis portentur secuti fuerint, Aut qui in ferotina pulsacione campanae flexis genibus ter aue maria dixerint, Nec non qui ad fabricam, luminaria et ornamenta dicte ecclesie manus porrexerint adiutrices aut qui in eorum testamentis uel extra aurum, argentum, uestimenta, libros, calices aut queuis alia dicte ecclesie necessaria donauerint, legauerint seu donari uel legari procurauerint, Quocienscumque, quodocumque et vbicumque premissa uel aliquod premissorum deuote fecerint, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, singuli nostrum XL dies indulgenciarum de iniunctis eis penitencijs misericorditer in domino relaxamus, Dummodo diocefani uoluntas ad id accesserit. In cuius rei testimonium presentibus litteris sigilla nostra Apposuimus. Datum Avione XXIII° die Mensis Junij Anno domini M° CCC° LIII° et pontificatu domini Innocencij pape Sexti Anno Secundo. Et nos Thydericus, dei gratia Episcopus Ecclesie Brandenburgensis, supradictas indulgencias laudamus et adiectis quadraginta diebus indulgencie cum vna karena in dei nomine presentibus confirmamus.